Quelle: http://manuscripta.at/?ID=922
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ducum. quod ab ipsis pueritiae iam an-
nis si quos poterat nummos ha-
bere, clandestinas faciens
elemosinas, et verecundiae suae
morem gerebat et pietate. im-
mo supra aetatem pietatis opera se-
ctabatur.

Cum autem post hoc aliquanto tempore
evoluto proficiens aetate et gratia
apud deum et homines puer bern-
hardus de pueritia transiret
in adolescentiam, mater eius liberis
fideliter educatis, et vias saeculi in-
gredientibus quasi peractis omnibus quae
sua erant, feliciter migravit
ad dominum. De qua nequaquam
praetereundum est, quod cum multo
tempore vixisset cum viro suo,
honeste et iuste secundum iustici-
as et honestates saeculi huius, et le-
gem fidemque coniugii, per aliquot
ante obitum suum annos in eo ad
quod filios nutrire videbatur,
prout potuit et licuit mulie-
ri sub potestate viri constitu-
te nec habenti sui corporis po-
testatem, omnis ipsa praevenit. Et-
enim in domo sua et in professione
coniugali et in medio saeculi here-
miticam seu monasticam vitam non
parvo tempore visa est emulari.
in victus parcitate, in vilitate
vestitus, delicias et pompas saeculi a
se abdicando, ab actibus et curis
saecularibus in quantum poterat se subtra-
hendo, insistendo ieiuniis, vi-
giliis et orationibus, et quod minus assump-
te professionis habebat, elemo-
sinis et diversis operibus misericordiae redimen-
do. In quo de die in diem proficiens
ad extrema devenit, proficien-
da in futuro in eo in quo proficiens
de hoc saeculo migravit. Obdor-
mivit autem psallentibus clericis
qui convenerant, et ipsa pariter psallens,
ut in extremis quoque cum iam vox
eius audiri non posset, adhuc moveri
labia viderentur et lingua palpi-
tans dominum confiteri. Demum ubi
letaniae supplicationes cum dice-
rent: per passionem et crucem tuam libera eam
domine, elevans manum signavit
se et emisit spiritum, ita ut manum
non posset deponere quam levarat.